



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XXVII. Deducuntur aliqua ex doctrina præcedentis Sectionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

art. 2. vers. Respondetur. P. Vasq. 1. 2. q. 19. art. 6. d. 65. cap. 1. n. 4. quos citat, & sequitur P. Sanch. lib. 2. decal. cap. 7. n. 12. ex quibus Bannez contrarium docet. P. Saloquitur de dubitatione non pertinaci. P. Vasq. licet aliquid innuat, est aliud agens, & punctum non disputans, & P. Sanch. non audet dicere, nullam dubitationem pertinacem in fide esse hæresim, sed solum quando intellectus utriusque partis rationibus perpensis pendulus est, nullamque iudicium format. Nam si supra dubitationem reflectat, iudicans rem illam fidei esse dubiam, aut sub opinione, nemo negare potest taliter dubitantem, & opinantem esse perfectè hæreticum; siquidem tunc ultra dubium adest consensus, & iudicium affirmans, rem fidei non esse certam, quod est aperta hæresis. Imò addit P. Sanch. moraliter loquendo cum tali dubitatione solere conjungi hanc actualem errorem, quo iudicat res fidei non esse omnino certas, sicque hæresim communiter adesse. Adhuc tamen eorum sententia:

Probatur primò, quia, qui prout sic dubitat, nondum errat; ergo non est hæreticus; siquidem solum qui in fide errat, hæreticus censetur. Secundò, quia hæresis est contraria fidei; sed dubitatio non est ita contraria; siquidem fides cum consistat in assensu veritatis, solum illi contrariatur assensus falsitatis; dubitatio autem nullum assensum habet, cum sit in medio pendens; ergo non est fidei contraria; ac proinde neque hæresis. Tertio, quia alioqui qui assensu opinativo rem fidei crederet, hæresim committeret; siquidem opinio intrinsecè includit formidinem, quæ est quoddam dubitationis genus; ergo, si omnis dubitans circa rem fidei, est hæreticus, etiam hæreticus erit sic opinans; atqui sequela non videtur admittenda; ergo &c.

Hæc tamen fundamenta non conveniunt. Non primum, jam enim ex supra dictis constat, quomodo vera dubitatio non est sine aliquo errore positivo; non quidem circa articulum, de quo dubitatur, quoad veritatem illius, respectu cuius dicitur hæc dubitatio negativa, sed respectu certitudinis debitæ motivo fidei sufficienter proposito. Non secundum, cui eadem responsio applicanda est, hoc enim sufficit, ut dubitatio, non tantum privativè, sed etiam contrariè fidei opponatur. Non tertium, idem enim quod diximus de homine prout sic dubitante, dicunt etiam de illo opinante Castro. Aragon. P. Azor. P. Egid. Lorca, & cum illis P. Pal. 17. 4. d. 3. punct. 2. n. 12. De hoc tamen infra.

SECTIO XXVII.

Deducuntur aliqua ex doctrina precedentis Sectionis.

RIMò deducitur, cum, qui involuntariè dubitat propter ignorantiam invincibilem, aut quia invitatus tales dubitationis motus patitur, nullo modo esse hæreticum; imò neque peccare, si ignorantia illa sit omnino invincibilis, aut illis dubitationibus, quantum tenetur, resistat, prout supra diximus n. 179.

Secundò deducitur, cum, qui operatur cum ignorantia vincibili, crassâ, vel affectatâ, mortaliter quidem peccare, non tamen peccato hæresis, sicque quamlibet ignorantiam, etiam affectatam, quæ sit causa erroris, excusare à peccato hæresis, cui excommunicatio, aliæque pœnæ Ecclesiasticæ imponuntur. Ita P. Azor. tom. 1. lib. 1. cap. 14. q. 9. & lib. 8. cap. 8. q. 4. & cap. 9. q. 8. Aragon. 2. 2.

q. 11. art. 1. vers. Propter Bannez art. 2. vers. Sed queret. P. Egid. d. 18. dub. 7. n. 97. & 100. P. Soar. d. 19. de Fide, sect. 3. à n. 9. Farinac. de Hæresi. q. 179. n. 29. & 30. P. Pal. tom. 1. tr. 4. d. 3. punct. 2. num. 3. Sayr. in Clavi, lib. 2. cap. 9. n. 34. P. Vasq. 1. 2. d. 126. cap. 2. Malder. 2. 2. q. 11. art. 2. memb. 4. P. Sanch. lib. 2. decal. cap. 7. num. 20. P. Turrian. d. 55. dub. 2. P. Henriq. lib. 13. de excommunicat. cap. 17. num. 3. & plures alii apud citatos.

Probatur quia impossibile est, te voluntariè contradicere authoritati Ecclesiæ, in quo consistit pertinacia ad hæresim requisita, nisi cognoscas, Ecclesiam esse tibi contrariam, ut cum multis docet Farin. cit. §. 1. n. 1. sed cum ignorantia, etiam affectatâ, quæ sit causa erroris, non stat hæc cognitio; ergo neque pertinacia; ergo neque hæresis, quæ sine illa non datur. Confirmatur, quia si voluntatem habeas mutandi sententiam propriam, quoties videris Ecclesiæ definitioni contradicere, nullo modo potes dici pertinax in tuo errore; siquidem paratus es corrigi; sed cum ignorantia, etiam affectatâ, potest esse talis voluntas; siquidem potes affectare nescire, quid doceat Ecclesia, ne cogaris aliud sentire; tunc enim affectas ignorantiam, sed quæ non obstat, imò potius includit voluntatem obediendi Ecclesiæ, cum tibi clarè propositum; ergo &c.

Oppositum docent D. Bonav. q. 13. n. 7. Sor. in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. post. 3. conclus. Palacios in 3. dist. 25. d. 2. Lopez. 2. p. Instru. cap. 20. de excommunicat. Cas. 1. Lorca 2. 2. q. 11. d. 41. n. 15. Et limitant ad ignorantiam ita crassam, ut facillimo negotio superari possit, P. Valent. 2. 2. d. 1. q. 11. punct. 1. diff. 4. & Sayr. cit. lib. 3. Theaur. tom. 1. cap. 4. num. 15. Et ad solam ignorantiam affectatam limitant Canus lib. 12. de Locis à cap. 9. Navar. de Restit. cap. 4. dub. 9. n. 89. P. Valent. cit. P. Turrian. de Trinit. q. 32. art. 4. assert. 1. Cordub. lib. 11. qq. q. 17. §. 7. Bonac. d. 2. de Censur. q. 5. n. 7. & ex parte consentit P. Sanch. cit. n. 23. dicit enim esse verè hæreticum eum, qui ignorantiam affectat ex falsa opinione contra Ecclesiam, quia scilicet existimat parvi momenti esse, quæ ipsa proponit: aut eam affectat ad finem liberius errandi in fide; non autem si illam affectet ex negligentia, & tædio ad discendi; tunc enim dicit, non esse verum hæreticum: pro quibus:

Obicies 1. Errans prout sic in materia fidei, peccat contra fidem; siquidem voluntarium indirectum sufficit ad peccandum; ergo est hæreticus. Probatur consequentia, quia peccatum commissum ex ignorantia vincibili, est ejusdem speciei cum peccato directè voluntario, sive ex certâ scientiâ commissum, ut patet in homicidio, adulterio, & similibus; siquidem utrumque peccatum opponitur eadem virtuti, & privat eadem honestate, ex quibus sumitur species peccati, & non ex modo voluntarii; ergo idem dicendum est in præsentem ob eandem rationem; consequenterque culpa illa, quæ committitur errando per ignorantiam vincibilem est ejusdem speciei cum hæresi; ac proinde, qui illam committit, est hæreticus.

Respondeo cum P. Soar. cit. sect. 3. n. 24. licet ignorantia non soleat efficere diversitatem speciei in peccatis, quando solum variat modum voluntarii, quia hoc non pertinet ad formalitatem, & speciem peccati, sed ad modum, qui se tenet ex parte operantis, ut bene probat argumentum: nihilominus quando ignorantia occultat objectum, à quo peccatum habet suam propriam rationem, tunc posse mutare speciem peccati, & ita est in præsentem; siquidem ignorantia definitionis, seu propositionis Ecclesiæ occultat proprium objectum hæresis, & facit,

facit, ut error non sit auctoritati Ecclesie contrarius formaliter, & in voluntate operantis; ideoque impedit speciem hæresis, ita ut non peccet directè contra fidem, & relinquit peccatum in specie ignorantie, ita ut peccet contra obligationem sciendi res fidei.

603. **Objicies 2.** Si hoc effet verum, sequeretur nunquam, aut rarissimè hæresim committi; siquidem vix aliquis hæreticus errat, nisi per ignorantiam: tum quia ipse error ignorantia quædam est: tum quia supponit ignorantiam, quod Deus contrarium revelaverit; nullus enim hoc cognoscens, & credens, putaret oppositum esse verum: tum etiam quia hæretici ignorant veritates suis erroribus contrarias contineri in Scriptura, aut ab Ecclesia verà proponi; cum aliter intelligant Scripturas, & aliam putent esse veram Ecclesiam; ergo errant per ignorantiam; & tamen sunt hæretici; ergo ignorantia culpabilis sufficit ad hæresim committendam.

604. **Respondeo** concedendo ex dictis, hæresim posse simul esse cum ignorantia; siquidem ipsa est etiam quædam ignorantia pravæ dispositionis, ut bene probat argumentum, & nos non negamus, ut patet ex supra dictis: Solum igitur dicimus, hæresim non posse esse ex ignorantia, & specialiter ex illa, quæ excludit notitiam auctoritatis, & definitionis Ecclesie, contra quod non probat, neque procedit argumentum factum.

605. **Objicies 3.** Ad duas species infidelitatis, nempe Paganismi, & Judaismi, sufficit errare in illa materia, ex ignorantia culpabili veritatis Evangelicæ, ut videre est in omnibus his infidelibus; ergo idem modus errandi sufficit ad hæresim. **Respondeo** negando consequentiam; diversa ratio est, quia ad infidelitatem privativam, etiam per ignorantiam culpabilem, qualis est Paganismus, & Judaismus, non requiritur pertinacia, sed potest esse per carentiam totius fidei, sicque hoc totum pertinet ad peccatum omissionis, ex quo non fit argumentum ad peccatum commissionis hæresis: at verò ad infidelitatem contrariam, qualis est hæresis, semper requiritur pertinacia; hæc autem non est sine aliqua notitia fidei, saltem per ejus sufficientem propositionem, quam tollit ignorantia illa, etiam affectata.

606. **Objicies 4.** Talis error verè opponitur fidei, & illam excludit, ut docet Trid. *sess. 6. cap. 15.* ergo peccat peccato infidelitatis; non Paganismi, non Judaismi; ergo hæresis. **Respondeo** negando antecedens: talis enim error cum procedat ex ignorantia, est secundum se involuntarius, & solum voluntarius in causa, sive in illa negligentia, ideoque non est vera infidelitas fidem excludens, & quam D. Thom. dividit in Paganismum, Judaismum, & hæresim, & per quam Trid. cit. docet, fidem amitti; hoc enim solum comperit illi errori, qui ratione pravæ voluntatis, à quâ procedit, ita repugnat actui veræ fidei, ut cum eo nullo modo possit consistere; qualis non est error procedens ex ignorantia, ut diximus.

607. **Instabis:** Omne peccatum mortale, etiam commissum ex ignorantia vincibili, opponitur charitati, & illam excludit, licet solum sit indirectè voluntarium; ergo idem dicendum erit de hujusmodi errore respectu fidei; cum sit æqualis oppositio. **Respondeo** negando consequentiam; diversa ratio est: Primò, quia licet non omne peccatum mortale sit formale odium Dei charitati contrarium; omne tamen est virtuale odium Dei, quod sufficit ad excludendam charitatem: at verò hæresis dicit peccatum formaliter contrarium fidei; hoc autem non habet error per ignorantiam commissus. Secundò,

quia peccatum mortale excludit charitatem solum demeritoriè; hoc autem efficiet, etiam si non sit illi formaliter contrarium: at verò error per ignorantiam, licet contingat esse peccatum mortale, & excludat charitatem, non destruit fidem, quia non evertit formale ejus objectum, neque illi contrariè opponitur, quod ad rationem hæresis requiritur, ut diximus.

608. **Objicies 5.** Ignorantia, saltem si sit affectata, non minuit, imò auget peccatum, ut est communis sententia; ergo non excusat hæresim; alioqui si excusaret, non parùm minueret peccatum. **Confirmatur**, nam qui affectat, & vult ignorare, quid Ecclesia sentiat in tali re, eò ipso non vult sentire cum Ecclesia; ergo ita vult adhærere propriæ sententiæ, ut non sit paratus obedire Ecclesie; ergo est hæreticus. **Respondeo** hujusmodi ignorantiam posse esse sine pertinacia, & cum voluntate credendi Ecclesie, si de ipsius definitione constaret, ut diximus, ideoque excusare hæresim, quia ejus objectum occultat, licet autem in eo casu peccatum erroris voluntarii augeat; non tamen illud transfert in speciem hæresis. Et sic etiam responsum est confirmationi argumenti, ut patet.

609. **Objicies 6.** Licet quis erret in rebus fidei, protestando, se esse paratum ad mutandam sententiam, si melius fuerit edoctus, non excusatur ab hæresi, si videtur frequens apud Jurisperitos; ergo neque sic excusabitur errans ex ignorantia vincibili; siquidem qui illam protestationem facit, si erret, videtur ex ignorantia errare. **Respondeo** negando antecedens, de quo infra.

610. **Objicies 7.** Si quis affectet ignorantiam ex eo, quod parvipendat auctoritatem Ecclesie; & ut liberius erret in fide, est verus hæreticus, quia non est paratus corrigi ab Ecclesia; & error est summè voluntarius; ergo ignorantia affectata non excusat hæresim. **Respondeo** in his casibus committi hæresim, non in errore procedente ex ignorantia, sed in errore voluntario, qui procedit ex scientia, quæ despiciat auctoritatem Ecclesie; hic enim despectus est hæresis, quia est negatio auctoritatis infallibilis. Similiter quando quis errat ex affectu liberius errandi, aut scit se errare, aut id ignorat: Si primum, debet scire, suum assensum contrarium esse Ecclesie, & sic cessat ignorantia, & succedit scientia: Si secundum, & ita affectus est errori, ut licet sciat, Ecclesiam in contrarium procedere, non illum derelinquat, committit hæresim: si autem habeat voluntatem relinquendi errorem, si cognoscat esse Ecclesie contrarium, non debet cenferi pertinax; ac proinde neque hæreticus. Ita P. Pal. cit. n. 4.

611. **Advertes** tamen pro foro externo, quando quis errat in fide, si alleget, ex ignorantia errasse, non creditur, si error sit commissus in his, quæ quis ex officio tenetur scire, aut quæ passim, & communiter sciunt omnes illius qualitatis. Sic Episcopi, Sacerdotes, & alii viri Docti errantes in articulis fidei, & præceptis Decalogi, præsumuntur errare ex malitiâ, & non ex ignorantia. Ita Menoch. *conf. fl. 82. num. 175. Farinac. de Hæresi. quest. 179. n. 27. & 28. Simanc. de Cathol. instit. tit. 27. num. 13. Decian. tract. crimin. lib. 5. cap. 37. n. 15. Penna direct. 1. p. quest. 7. Comment. 22. vers. Sit secunda, quos citat, & sequitur P. Pal. tomo 1. tract. 4. 3. pun. 2. 5.*

612. **Quæres** hinc primò: Utrum protestatio pertinaciam, & cum illa hæresim excludat? Supponendum est, protestationem hinc esse professionem fidei, ut docent Doctores statim citandi. Hoc positò, Sententiam affirmantem hujusmodi protestationem excusare protestantem, si postea hæresim committat

mittat, ne præsumatur illam commisisse scienter, & cum pertinaciâ, docent *Albertin. tract. de agnoscent. assert. Cathol. quest. 12. num. 6. Simancas de Cathol. Instit. tit. 55. num. 4. Farinac. de Hæresi, q. 178. num. 150.* & alii apud illos, idque ex cap. *Dixit Apostolus, 24. quest. 3.* & ibi Gloss. verb. *Pertinaci.*

613. Hoc tamen dicit, (& benè) *P. Pal. cit. num. 7.* intelligendum esse, cum verba sunt dubia; aut materia, circa quam erratur, obscura, & cujus non præsumebatur notitia: secus verò si notitia præsumebatur; tunc enim protestatio ab hæresi non excusat, quia factò ipso protestationem dissolvit: alioqui sic possent excusari omnes hæretici, cum possent hanc protestationem facere, & sæpè faciunt, ut sic suaviùs animos simplicium pervertant. Et *P. Soar. cit. sect. 3. num. 26.* addit, talem protestationem per se, & in foro Dei nunquam excusare hæresim, nisi sit conformis voluntati interiori.

614. Quæres secundò: Utùm sic errans ex ignorantia, si moneatur ab Episcopo, aut Inquisitore, aut aliis viris doctis de suo errore, & adhuc perleveret in illo, credens non esse contra Ecclesiæ definitionem, censendus sit pertinax, & hæreticus? Negant *Canus. lib. 12. de Locis, cap. 9. vers. At quid. Sayr. lib. 3. Theaur. cap. 4. num. 17. P. Turrian. de Trinit. q. 32. art. 4. in 4. part. Comment. P. Valent. 2. 2. d. 1. q. 11. punct. 1. diff. 4. P. Vasq. 1. 2. quest. 76. art. 3. d. 226. cap. 3. num. 7.* quos citat & sequitur *P. Sanchez. lib. 2. decal. cap. 7. num. 25.* Et ratio eorum est, quia sola Ecclesia, & Pontifex est regula veritatis, cum sit infallibilis; cæteri verò & falli, & fallere possunt; ergo illis discredens, & credens Ecclesiæ, non est hæreticus, quia non repugnat cum Ecclesia.

615. Nihilominùs probabilior est lententia affirmativa, quam tenent *Bartol. in l. Tutor, §. Tutoris, num. 1. ff. de Suspectis tutorib. & ex illo Rebuff. Prax. Benefic. in Bull. Cene excommunic. 1. art. 1. verb. Hæresis. vers. Quæret quis, Hugolin. de Censur. Pontific. reservat. 2. part. cap. 1. §. 1. in l. Penna Direct. 1. part. Comment. 26. ad quest. 12. P. Pal. tomo 1. tract. 4. d. 3. punct. 2. num. 6.* & alii. Probatur, quia declaratio solemnis, & publica, quæ testantur homines ita gravissimi, & doctissimi mysterium illud receptum esse ab Ecclesia, facit evidentiam moralem de illius receptione ab Ecclesia; atqui si evidentiam habeas, quod sit evidenter credibile, quidquid ab Ecclesia proponitur, & discredis mysterio ita proposito, verè, & in rigore Ecclesiæ auctoritati contradicis; ergo es hæreticus; alioqui nullus censendus esset hæreticus; siquidem nullus est, qui Ecclesiæ veræ, & à Christo institutæ non intendat credere, sed hæreticus judicatur, quia huic intentioni censetur contradicere, cum negat, quæ illi proponuntur esse recepta ab Ecclesia. Confirmatur, quia rarus est, cui Ecclesia immediatè proponat mysteria credenda; ergo si mysteriis ab hujusmodi personis propositis non teneris fide Divinâ credere, nunquam teneris credere.

616. Neque ratio in contrarium obstat; concedimus enim, neminem præter Pontificem esse regulam veritatis, ex quo tamen non inferitur, te non esse obligatum credere, quæ hujusmodi personæ tibi proponunt credenda; siquidem non obligaris illa credere tanquam ab ipsis proposita, sed tanquam per illas ab Ecclesia proposita. Ita etiam tenet *P. Soar. de Fide, d. 19. sect. 3. num. 21.* Animadvertendum tamen est cum *P. Sanchez cit. num. 26. P. Pal. cit. num. 6. & P. Toler. lib. 4. sum. cap. 3. num. 8.* facilius judicandum esse pertinacem, sicque hæreticum hominem doctum, quam rusticum, si dissentiat mysteriis fidei propositis; siquidem hic, non ita

Tomo 2.

verò ille, potest facillè ignorare regulas fidei, & obligationem credendi.

SECTIO XXVIII.

Alia deducuntur, & elucidantur ex precedente doctrinâ.

617. TERTIÒ deducitur, non posse de objecto fidei sufficienter proposito assensum opinativum haberi, quin sis formaliter hæreticus. Ita *P. Azor. tomo 1. lib. 8. cap. 9. quest. 6. Castro lib. 1. advers. hæres. cap. 10. Aragon. 2. 2. quest. 11. art. 2. dub. 2. Lorca ibid. d. 42. num. 7. P. Egid. d. 18. dub. 7. num. 103. P. Pal. tomo 1. tr. 4. d. 5. pun. 2. n. 12.* & alii

618. Probatur primò ex *D. Aug. lib. 8. de Trinit. cap. 5.* ubi loquens de Beatissimâ Virgine: Itaque, ait, *hic salvâ fide licet dicere, fortè talem habebat faciem, fortè non talem: fortè autem de Virgine natus est Christus, nemo salvâ fide Christianâ dixerit: ubi apertè docet, esse contra fidem, sive hæreticum dicere, sive judicare, Christum fortè natum esse de Virgine; sed nihil aliud est id opinari, quàm judicare id fortè ita esse; ergo id ita opinari est hæreticum.*

619. Probatur secundò, quia assensus opinativus de aliquo objecto judicat necessariò illud esse ita verum, ut possit esse falsum, aut è contra; siquidem judicat, objectum non esse omninò certum; sed talis assensus de objecto fidei includit errorem in fide; ergo non potest esse cum objecto fidei sufficienter proposito.

620. Dices: Credere objecto fidei ob motivum humanum non est peccatum, imò potiùs frequenter usitatum à fidelibus; siquidem talis credulitas cum fide non pugnat; ideo enim alibi diximus cum fide posse esse opinionem. Deindè talis assensus opinativus non est error, imò veritatis conformis, ergo &c. Respondeo concedendo, te quidem posse assentiri mysteriis fidei sub aliqua ratione probabili, qualis est dictum alicujus hominis; negando tamen, te habere tunc assensum opinativum absolutè de tali mysterio; siquidem non judicas absolutè mysterium illud esse probabile, sive non esse omninò certum, sed judicas in actu exercitò non esse omninò certum ex vi rationis illius, quæ ratio non est actus contrarius fidei, quia ejus probabilitas potiùs versatur circa rationem motivam, quàm circa mysterium, quod rationi motivæ subest. Undè semper diximus non posse haberi opinionem de objecto fidei absolutè sumpto, & sufficienter proposito, ut fide Divinâ credatur.

621. Quartò deducitur, non assentientem revelationi sibi specialiter, & sufficienter propositæ, esse hæreticum. Ita *Vega lib. 9. de Justificat. cap. 3. Catharin. in Apolog. de Certitud. grat. cap. ult. P. Sanchez. lib. 2. decal. cap. 7. num. 32. P. Soar. d. 19. de Fide, sect. 5. num. 11. P. Azor. tomo 1. lib. 8. cap. 9. q. 4. P. Egid. d. 18. dub. 7. n. 118. P. Pal. tomo 1. tract. 4. d. 3. pun. 2. n. 14.* & alii. Probatur, quia tota malitia hæresis sita est in contemptu primæ veritatis sufficienter propositæ; siquidem qui sic discredidit, quod prima veritas dicit, mendacem Deum facit; sed qui discredidit revelationi specialiter sibi factæ, & sufficienter propositæ, eodem modo contemnit primam veritatem, & Deum mendacem facit; Deus enim idem est, sive publicè, sive specialiter revelans; ergo &c.

622. Dices cum *Lorca 2. 2. q. 11. d. 39. n. 2. & 4. Cor. dub. Rodrig. & Vivald. apud P. Sanchez. cit. qui ita dissentitur non est Ecclesiæ Catholicæ contumax;*

Cc siquidem